

tiones Codicum ebraeorum, quae in Cel. WOLFII *Biblioth. Hebr.* eiusque *Volumine II*, sectione peculiari gg) enumerantur, ex quibus constat, me in scribendo extra veritatis oleas non uagari, ROSENROTHII uero relationem nimis perplexam ac obseuram esse. Id quod alienum, arbitror, ab officio scriptoris tanti tamque literati, qui distinguere dudum bene didicerat glossatorum ac commentatorum nomina ab ipsa glossematum ac commentationum denominatione. Nihil hic haberet, quod exciperet, praeter unum istud, in uerbis fuisse facilem, in re autem se & Iudaeos conuenisse. Quanto periculosius in ueritatibus uel enuntiandis uel demonstrandis, per omnes eruditionis cancellos semper est repertum hoc excipiendi genus hb), tanto maiora & damna studio idem inferre solet literario, quod minimas circumstantias, aut literam apicem uel unum, quibus argumentum inuertitur totum, praetermittere dissuadet ii), ne illius cultores uelut Cadmaei fratres publicis
inter

gg) Sectionem V. subintelligo, editiones Bibliorum Hebraicorum, quibus uel integra uel ex parte haec continentur, enumerantem.

hb) Testantur id hodie in Theologia Controuersiae, quas uocant, *Piesisticae*, in Philosophia autem *Leibnitianae*, & quae has excipiunt, *Wolfianae*, quarum prioribus rite intelligendis PACHOMII (paliati) *Salomen Christo affinem*, posterioribus autem *Auctoris*, literis initialibus I. Th. C. *Würtemb.* indicati, *Philosophiae Leibnitianae & Wolfianae usum in Theologia*, maxima prodesse, duco.

ii) Satis opportune incido in IOBI LVDOLFI *Commentarium ad Historiam Aethiopicam*, *Frankfurti ad Moenum A. O. R. ∞ 10 xci* in forma ordinis primi typis exscriptum, eiusque paginam 31, ubi *Vir* quondam *Illustris* suo Ipsiismet ac Praeceptoris sui in lingua Aethiopica GREGORII HABESSINI exemplo comprobabat, *literam unam uel apicem minus recte positum aut lectum* ansam praebere errori posse. Ita enim scribit: *Post discessum meum* (nempe Roma, ubi LVDOLFVS ad tempus commoratus fuerat) *crebris epistolis suum* (GREGORIVS HABESSINVS) *reuisendi mei desiderium exponebat, oblatamque a me conditionem sumtibus meis in Germaniam ueniendi acceptabat. Inuitaueram eum Erfurtum in Patriam meam, ubi tunc temporis mater mea ad-*
huc